



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 10. Cæsar is Epistola ad ordines Imperii adversus Lutherum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](#)

Sæcul.XVI.  
A.C.1521.

§. X.

*Cæsar's epistola ad Ordines Imperii  
adversus Lutherum.*

'Steid. I.c.  
p.68.  
Cochl. p.34.

Altera die Imperator, cum comitiis interesse haud posset, ad Principes ibidem congregatos hunc in modum perscripsit: *Vobis constat, me genus ducre a Christianissimis Imperatoribus, qui omnes ad supremum usque vitæ diem se fideles Romanæ Ecclesiæ declararunt, semperque Catholicæ fidei pro Dei honore, pro Religionis incremento, pro animarum salute propugnatores fuere.* Et nos quoque, ut pote Majorum nostrorum non fallaces imitatores in hunc usque diem eo pacto vivimus. Cum vero in aperto sit, unum solum Fratrem hallucinari privata opinione deceptum, eam ob rem plane mihi delibera- tum est, Regna mea omnia, vitam denique ipsam, & animam impendere, ne improbus hic conatus longius progrediatur. Quandoquidem ergo pertinax hesterno die Lutheri responsum omnes audivimus, mentem ego vobis meam aperio, pœnitere me, quod tam diu disulerim contra hominem illum, falsamque ejus doctrinam procedere. Jubeo autem, ut quamprimum ex mandati præscripto Wittembergam reducatur, caveatque ipse ex publicæ fidei ipsi data formula, ne palam concionetur, neve populo prava sua dogma- ta

ta instillare pergit. Evidem sicut jam di- sœcul. XVI.  
xi contra eum haud secus, atque contra no- A. C. 1521.  
torium hæreticum plane deliberavi procedere:  
simulque a vobis reposco, ut in ista caussa  
id statuatis, quod decet probe Christianos, &  
ut vos facturos recepistis. Lecta est hæc  
Cæsaris epistola in comitiis, ac de illa  
varium erat vulgi judicium, prout cu-  
juscunque animus Lutheri caussæ vel  
favens, vel inimicus erat, vel prout pro-  
pria cuiuslibet utilitas suadebat. Cen-  
febant nonnulli, Lutherum insuperha-  
bita fide publica, protinus carceri man-  
dandum, alii atque inter eos præci-  
pue Ludovicus Elector Palatinus ejus-  
modi consiliis vehementer obluctaban-  
tur, caussati, ejusmodi facinore Germa-  
nicæ Nationis nomini indelebilem ma-  
culam inuri. Elector quoque Saxo-  
niæ, ceterique Lutheri fautores expo-  
nebant, agi de re summi momenti, non  
igitur præcipiti utendum consilio, Cæ-  
farem ætate juvenem nimia facilitate  
præventum Romanæ Curiæ Ministris  
favere, supplicandum potius eidem Prin-  
cipi, ut quosdam ex comitiis ad Luthe-  
rum deputari permittat, qui ejus ani-  
mum ad reparandum læsum summi  
Pontificis honorem novo conatu indu-  
cerent.